

in Rubric. ff. Solut. matrimon. de qua definitione late per Bald. Novel. in tractat. Dotis, fol. 3. part. 2. §. 1. & Joan. Campeg. in tract. Dotis, 1. part. §. 1. quest. In qua materia sunt videntur tres principales articuli. Primus est de jure, natura, & effectu dotis tempore promissionis ante contractum matrimonium. Secundus articulus est de jure, natura, & effectu dotis constante matrimonio. Tertius articulus est de jure, natura, & effectu dotis soluto jam matrimonio.

¶ Quoad primum igitur articulum dico, quod talis dos potest promitti ab uxore, vel à patre, vel à consanguineo, vel à quolibet extraneo, ut in dict. jurib. & in specie est text. in leg. Promittendo. ff. de Jure dotium, cujus verba sunt: Promittendo dotem omnes obligantur, cujuscumque sexus conditioni que sint. Item, potest fieri ante matrimonium, & etiam constante matrimonio; quia talis dotis constitutio nullo tempore est prohibita: text. est in leg. Si constante, Cod. de Donation. ante nupt. text. in leg. Cum multa, versicul. Sancimus, eodem titul. sext. in leg. 1. titul. 11. part. 4. Item, potest fieri etiam in omnibus bonis: text. est in leg. Mulier bona. ff. de Jure dotium, & ibi notant & commendat Gloss. ordinaria, Odofred. Bartol. Bald. Salycet. Fulgos. Jacob. de Sanct. Georg. & communiter DD. text. in leg. Nulla, Cod. eodem titul. cujus verba sunt: Nulla lege prohibetur est universa bona in dotem marito feminam dare, & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. Nec obstat lex 69. infra, his II. Taur. quæ habet, quod nemo potest donare omnia bona sua, etiam in presentia. Quia debet intelligi in donatione simplici, vera, & propria inter vivos; non verò in donatione ob causam onerosam, prout ista. Nec obstat etiam lex unic. Cod. de Inofficiosis dotibus. Quia ibi non revocatur ex eo quod omnia bona dentur in dotem, sed quia tendit dos in præjudicium legitimæ filiorum. Nec obstat etiam lex 1. Cod. si adversus dotem. Quia ibi minor restituitur, non ex eo quod omnia bona dedit in dotem, sed quia maritus non fuit dignus tanta dote, secundum qualitatem suæ personæ, loci, & patrimonii. Et in effectu ita tenet & declarat ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. tenet etiam & declarat Gloss. ordinaria, & communis opinio in leg. dict. Nulla, Cod. de Jure dotium.

¶ 17. Quid autem in dubio, quando mulier simpliciter contrahit matrimonium, an videatur omnia bona in sua dote dare? Et Gloss. ordinaria in leg. Mulier bona. ff. de Jure dotium, autoritate Aristotelis maximi Philosophi, tenet quod sic, & sequuntur aliqui DD. & ita expressè tenet Faber. in dict. leg. Nul-

la, Cod. de Jure dotium. Sed contrarium tenent Bald. Salycet. Fulgos. Jacob. de Sanct. Georg. & magis communiter DD. in dict. leg. Mulier bona, tenet etiam Bart. plenè & magistraliter disputando in qq. suis, quest. 7. mulier habens magnum patrimonium, idem Bart. & communiter DD. in leg. penult. §. Uxor. ff. Solut. matrimon. Paul. de Castr. & Modern. in Authent. præterea, Cod. Unde vir. & uxor. Bald. Salycet. & communiter DD. in dict. leg. Nulla, Cod. de Jure dotium, Salycet. & alii DD. per text. ibi in leg. fin. versic. eodem modo, Cod. de Repudiis. Quod extendit, etiamsi bona sint tradita marito actualiter respectu administrationis, secundum prædictos DD. ubi supra. Quod tamen intelligit, nisi ex aliquibus conjecturis tacite appareat in dotem dedisse: quas bene & notabiliter ponit Bald. in dict. quest. 7. & DD. in locis supra allegat, & melius quam alius ponit Francisc. Curt. Junior in Authent. præterea, Cod. Unde vir. & uxor. 4. column. num. 12. Joan. Camp. in tract. Dotis, 1. part. quest. 39. Quod est utile & necessarium, si fortè caveretur lege vel statuto, quod soluto matrimonio maritus lucretur certam partem dotis. Item adde, quod nedium potest quis dare omnia bona presentia in dotem; sed etiam futura, si tamen hoc dixit expressè, aliàs non: argumento text. & eorum quæ ibi notantur in leg. fin. Cod. Quæ res pignori obligari poss. & in terminis tenet Bald. in dict. leg. Nulla, Cod. de Jure dotium, cum quo transeunt alii DD.

¶ 18. Item adde, quod si simpliciter dos promittatur, habet in se tacitam conditionem, si matrimonium sequatur; & ante non potest agi: text. est in leg. Stipulationem. ff. de Jure dotium, text. in l. Plerumque, §. Si ante, eodem titul. text. in leg. In rebus, versic. 1. eodem titul. text. in leg. Non enim, eod. tit. text. in leg. Item quia, §. 1. ff. de Pactis, text. in leg. 11. titul. 11. part. 4. Ex quo infertur, quod tempus adjectum solutioni dotis, incipit currere à tempore contracti matrimonii: text. est singularis in leg. Talis facta. ff. de Jure dotium, & ad hoc notat & commendat ibi Bartol. & communiter DD. idem Bartol. in leg. Si cui legetur, in fin. ff. de legat. 1. & ibi Paul. de Castr. & alii DD. & illum text. reputat singularem Angel. de Aretin. in cap. Action. Inst. de Actionib. 4. column. & idem disponit lex 12. titul. 11. part. 4. Quod tamen intelligit, quando terminus est appositus simpliciter & in genere: secus tamen, si in specie & individuo; quia tunc statim incipit currere: ita tenet & declarat Bald. in leg. final. §. 1. ff. de Rescind. vendi. idem Bald. in Rubr. Cod. de Contrahen. emptio. fin. column. 23. quest. 1. Salycet. in leg. 2. eodem titul. Jacob. de Sanct. Georg. ibi

ubi valde commendat in dict. l. Tali facta.

¶ 19. Item adde, quod dos potest incipere à traditione, & à promissione: à traditione, quando uxor vel alius actualiter tradit viro aliqua bona in dotem, ut in leg. Si ego. §. Dotis. ff. de Jure dotium, & in leg. 1. Cod. eodem titul. à promissione, ut si pacto nudo vel stipulatione fiat promissio, ut in leg. Cum post. §. Genere. ff. de Jure dotium, & in leg. 1. Cod. de Dotis promiss. Hodie tamen semper inducitur & fingitur à lege tacita stipulatio, tam ex parte mulieris ad dotem repetendam, quam ex parte viri, ad dotem exigendam: textus est in leg. unic. §. 1. Cod. de Rei uxor. action. & ibi Glossa ordinaria, & in verb. Omnes, textus formalis & expressus in §. Nemo, ejusdem leg. tenet etiam Glossa in l. Ad exactionem. Cod. de Dotis promiss. Glossa in leg. 1. ff. de Solut. matrim. Glossa in leg. de Divisione, eodem titul. Glossa in leg. Divortio. ff. de Verb. oblig. Glossa in §. Fuerat; Inst. de Action. & utrobique communiter DD. Item etiam, pro hac dote solvenda competit marito tacita hypotheca in bonis promittentis: textus est in dicta lege unic. §. Et ut plenius. Cod. de Rei uxor. act. text. in §. Et nemo, ejusdem leg. & ibi DD. & idem disponitur leg. 23. tit. 13. part. 5. Adde tamen, quod hoc casu non est privilegiata, ut præferatur cæteris creditoribus; ita Glossa ordinaria in dict. §. Et ut plenius, & ibi DD. Adde tamen, quod his casibus requiritur saltem promissio dotis per pactum; secus tamen, si per pollicitationem: ita singulariter Bald. Novell. in tract. Dot. 6. part. 1. privilegio num. 3. & talis promissio dotis valet, licet sit incerta; & per judicem declarabitur, attendita qualitate & genere personarum, loci, & patrimonii: dum tamen hoc casu promissio fiat per stipulationem; ne aliàs concurrant duæ specialitates: textus est in leg. Cum post. §. Genere. ff. de Jure dotium, & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. text. in leg. 1. Cod. de Dotis promiss. & ibi glossa ordinaria & communis opinio. Hodie tamen de jure regio indistinctè valerit: quia ex pacto nudo & pollicitatione oritur actio, & non concurrerent prædictæ specialitates.

¶ Adde tamen, quod si uni filia promisserit, vel dederit certam dotem, & postea alteri filia promisserit dotem incertam simpliciter, videtur velle promittere tantam dotem, quantum prius promissit vel dedit primæ filia, argumento textus in leg. Dotem qua prius. ff. de Jure dotium. Confirmatur ex singulari sententia Socii in leg. 1. ff. Solut. matrim. num. 10. ubi dicit, quod si pater filiam dotavit, tam de bonis propriis, quam de bonis filia, expressa quantitate, & postea aliam nupti tradidit, & pro ea sim-

Anton. Gomez ad Leg. Taur.

pliciter dotem promissit; videtur eandem quantitatem promittere, quam dedit primæ filia, ratione æqualitatis servandæ: quod reputat singulare & non alibi Palac. Rub. in sua Repet. fol. 91. column. 3.

¶ 20. Item adde, quod si tempore matrimonii, vel eo constante, uxor promittat vel tradat simpliciter viro certam quantitatem pecuniæ, vel rem, nulla expressa causa; videtur facta promissio ex causa dotis, & per consequens valet: text. est singularis & unicus in leg. Quod autem. ff. de Jure dotium, cujus verba sunt: Quod autem in stipulatione non est necessaria dotis adjectio, etiam in donatione tantundem dicimus, & ad hoc notant & commendat ibi Bart. Odofred. Salycet. Fulgos. Jacob. de Sanct. Georg. & reputat singularem & unicum Bald. ibi: & illum etiam reputat singularem & unicum Bald. in leg. Nulla. Cod. de Jure dotium, num. 2. Notat etiam & commendat Bald. Novell. in dict. tract. Dor. 6. part. 14. privilegio dotis. Nec obstat, quod mulier, quæ simpliciter tradit bona sua marito, non videtur ea in dotem dare. Quia intelligitur, quando omnia bona dedit vel tradidit; secus verò si partem, ut hic.

¶ Item adde, quod uxor potest habere bona triplicis generis & patrimonii. Nam potest habere bona dotalia, quæ sunt illa, quæ expressè dantur in dotem; in quibus maritus habet dominium constante matrimonio, & lucratur fructus; & habet administrationem; & potest sub nomine actiones exercere, ut infra suo loco dicetur. Secundò potest habere bona paraphernalia, quæ sunt illa, quæ habet uxor extra dotem, à para quod est juxta, & pherna, quod est dote, tamen custodiam & administrationem expressè vel tacite concessit marito, tradendo sibi prædicta bona, vel instrumenta eorum, vel aliàs & in his maritus non habet dominium, nec aliud jus, sed tantum administrationem: videt in eis potest agere & defendere nomine uxoris sine mandato tamquam procurator, text. est notabilis in leg. Si ego. §. Dotis autem causa. ff. de Jure dotium, text. formalis & expressus in leg. final. Cod. de Pactis conventis, facit etiam bonus text. in argumento in leg. 1. §. fin. cum leg. sequent. ff. Usufruct. quemadmodum capatur. Tertio potest habere bona propria, quæ non dedit in dotem, nec ea tradidit marito in administrationem expressè nec tacite, sed ipsa separatim habet, regit, & administrat: & in his nullum jus de prædictis habet maritus, sed tunc potest agere & defendere tamquam conjuncta persona, præstita cautione de rato; sicut quilibet conjunctus possidet: textus est notabilis, qui sic debet intelligi in leg. Maritus. Cod. de Procurat. & in expressè istam doctrinam & resolutionem in materia ponunt Ja-

obus Butr. Odofred. Bart. Paul. Salyc. Fulgos. Jas. & communiter DD. ibi: Jacob. de S. Georg. in leg. Dotis fructus. ff. de Jure dotium. Palac. Rub. in sua Repet. fol. 49. & 2. column. Alexand. in consil. suo 1. volum. cons. 42. & 2. volum. cons. 62. Hodie tamen, etiam in istis non posset agere mulier sine licentia viri, per II. Regias: ex quo infertur, quod ista bona paraphernalia, quæ non fuerunt tradita nec concessa marito in administrationem expressam nec tacitam, non possunt peti ab uxore, vel hæredibus aliquo titulo particulari, depositi, commodati, vel simili; sed tantum actione ad exhibendum, vel rei vindicatione, tamquam contra extraneum possessorem vel detentatorem: ita singulariter Bald. in leg. Si ego. §. fin. ff. de Jure dotium.

Item adde, quod si pater simpliciter promissit dotem filiae, vel donationem ante nuptias vel propter nuptias filio, quod licet habeat bona eorum ex linea materna, vel ex alia parte acquisita, in quibus sit legitimus administrator, vel ex aliqua causa sit debitor eorum, non videtur promittere de bonis eorum, sed de proprio patrimonio & substantia ipsius patris; quia officium ejus est dotare: (h) si verò dixit & expressit, quod promittebat ex patrimonio & substantia propria, & etiam filiorum; tunc, si est pauper & inopia tentus, videtur promittere de bonis filiorum, quatenus ipse non est solvendo; si verò sit dives & idoneus solvendo, videtur promittere de proprio patrimonio & substantia, nisi expressè dixit & declaravit quam quantitatem promittebat ex bonis propriis, & quam quantitatem ex bonis filiorum: textus est singularis & unicus in leg. final. Cod. de Dotis promiss. & iste est verus sensus & resolutio: & ad hoc notat & commendat ibi Glossa ordinaria, Azor. in Summa illius tituli. num. 6. Odofred. Petr. Jacob. Butr. Cin. Bartol. Alberic. Angel. Salycet. Fulgos. & communiter DD. & reputat singularem & unicum Bald. notat etiam & commendat Bart. in leg. ff. Solut. matrim. 3. column. num. 11. & ibi communiter Moderni. Palac. Rub. ubi notabiliter loquitur, in sua repetitione. fol. 91. §. 14. & idem disponit lex & tit. 11. part. 4. (i) Ex quo colligitur, quod licet de natura dictionis copulativæ sit dividenda

(h) Idem expendit Palac. Rub. in Rubr. de Donat. §. 66. num. 8. & 13. in fin. Greg. in leg. 6. glossa final. ad med. tituli. 10. part. 5. Covarrub. lib. 3. Resolut. cap. 19. num. 3. Matienz. in leg. 3. tit. 9. lib. 5. Recopil. glossa 7. num. 7. ad fin. (i) Hanc eandem sententiam tenet glossa 2. in leg. 8. tit. 21. part. 4. Aceved. in leg. 8. tituli. 9. lib. 5. Recopil. num. 9. ubi communem dicit: idem etiam est, si nomine & vice filiae in bonis ejus pater dotavit, secundum Rub. consil. 71. num. 3. & Gregor. in leg. 14. tit. 5. part. 6. communemque testatur Burg. de Paz. consil. 1. num. 13. column. 11. Baez. de Dote. cap. 21. numer. 95. cum sequent. maximè. num. 131.

re obligationem activam vel passivam viriliter & aequaliter inter plures debitores vel creditores, ut in leg. Reos. §. Cum tabulis, ff. de Duobus reis, & in leg. Si mihi & Titio. ff. de Verbor. obligat. & in leg. Eum qui eodem titulo. & in leg. Paulus. la 2. ff. de Re judic. & in leg. 1. Cod. Si plures una sententia, & in leg. Pluribus: ff. de Procurat. tamen secus est hoc casu, propter necessitatem impositam à lege in ipso patre dotandi filiam; quia tunc totus actus & effectus promissionis attribuitur patri. Confirmatur etiam, quia quando dicitio copulativa cadit inter personas, in quibus datur & consideratur affectio & ordo charitatis, illa dicitio non dividit, sed intelligitur & regulatur secundum ordinem, charitatem, & affectionem: ita probat textus in leg. Gallus. §. Quidam rectè, ff. de Liberis & posthumis, & ita tenet Glossa reputata singularis & ordinaria, & communiter DD. & in terminis istam rationem ponit Jas. in leg. 1. ff. Solut. matrimonio. 5. column. num. 24. & hoc dubium & difficultatem cum solutione aperte vult & sentit text. in versic. Utrum pro dimidia parte videatur datio vel promissio facta esse, juncto versicul. final. Si verò expressè dixit & declaravit quid vel quantum volebat promittere ex bonis propriis, & quid vel quantum ex bonis filiorum, tunc non tenetur nisi ad illam partem vel summam quam specificavit, & in quo voluit teneri; & hoc est quod significat textus in fin. in quantum dicit, ut revera appareat quid ipse vult dare, & quid de substantia filiorum proficiscitur.

Ex quo singulariter infertur, quod si pater promittat dotem, dicendo, computato omni eo quod ipsi filiae debetur de bonis maternis, vel aliunde: hoc non obstante, videtur pater de suo patrimonio, & substantia promittere, non autem de bonis filiarum; & poterit filia sua bona vel debita liberè ultra dotem petere: ita consuluit originaliter Joan. de Monte Spec. apud Pistorium, in favorem cujusdam Tuderini, argumento text. in dict. l. fin. quem refert & sequitur Bald. Nov. in tract. Dotis. 6. part. in 6. privit. Jas. in §. Fuerat, Institut. de Action. 20. column. n. 105. Vincent. in leg. 1. ff. Solut. matrim. 16. column. num. 27. Sed advertendum, quod prædicta opinio

nio & conclusio videtur valde dubia: quia text. in dict. leg. fin. loquitur quando simpliciter, & genericè pater promissit dotem de bonis suis, & filiarum; secus verò quando particulariter & specificè dixit, quod tantam quantitatem volebat solvere de proprio, & tantam quantitatem de alieno: sed in nostro casu expressè dicit, quod illud quod appareat deberi de bonis filiarum, ante omnia venire & deberi: ergo tantum reliquum videtur promittere ex proprio; & per consequens, pars vel quantitas uniuscujusque videtur certa per relationem ad aliud, sicut si expressè esset declarata, argumento text. in leg. Asse. toto. ff. de Hæred. Inst. & in l. Institut. ff. de Cond. inst. & in leg. Si ita scripsero. ff. de Cond. & demonstr. & in leg. Certum est. ff. Si cert. pet. cum similib. & propter hoc Marian. Socin. deviat ab ista opinione & tenet contrarium in cap. Tuæ de Spons. quem refert & sequitur Bart. Socin. ejus filius in leg. 1. ff. Solut. matrimonio. 6. column. vers. Ex quibus, & ibi Rip. 18. column. numer. 92. & Jas. relinquit cogitandum, 5. column. numer. 24. Palac. Rub. in sua Repet. fol. 91. column. 3. vers. Ad secundum. Sed his non obstantibus, ego teneo primam sententiam & conclusionem, imò, quod tota dos debeat solvi de bonis patris: quia considero, quod lex vult quod in dubio semper pater teneatur, & non sufficiat exprimere quantitatem quam vult solvere ex bonis filiarum tacitè vel per conjecturas, sed expresse & specificè declaratur quid vel quantum promittitur de cujuslibet bonis: & ista est realis intentio illius text. in dict. leg. fin. versic. fin. Cod. de Dotis promissione, ibi dum dicit, ut revera appareat quid ipse vult dare, & quid de substantia filiorum proficiscitur, ne dum effuso sermone sese jactet, in promptum incidat sui periculum.

Secundo etiam singulariter infertur, quod si pater promittat dotem de bonis solius filiarum, ipse pater tenetur de suo patrimonio & substantia solvere, non autem de bonis filiarum: argumento text. in dict. leg. fin. & argumento prædictæ rationis: quia officium paternum de necessitate est filiam dotare: & in expresso ita determinat Angel. de Aretin. in §. Fuerat, Institut. de Actionib. 13. col. num. 19. & ibi Jas. 20. col. num. 105. Socin. in leg. 1. ff. Solut. matrimonio. 6. column. & reputat singularem Palac. Rub. in sua Repet. fol. 91. column. 2. Confirmatur secundum eos: quia in hisce, quæ certo modo disposita sunt per legem, protextatio non relevat protestantem, ut in leg. Nesennius, cum materia, ff. de Negot. gest. & in leg. Alimenta, Cod. eod. tit. & ibi in Gloss. ordinaria, & communiter DD. sed pater de necessitate & legis dispositione tenetur filiam dotare: ergo pro-

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

testatio ejus contraria non valet nec aliquid operatur. Sed advertendum, quod similiter ista sententia & conclusio videtur valde dubia: quia hoc casu expressè & specificè pater dixit, & declaravit totum promittere ex bonis filiarum, & non sub aliquo dubio: unde videtur, quod ipse non teneatur, sed filia, per textum in dict. leg. fin. vers. fin. qui istum casum videtur probare & disponere: & in terminis per illum textum ita tenet Vincent. leg. 1. ff. Solut. matrim. 11. column. 28. & ibi Franc. de Rip. 17. column. numer. 91. reprobando prædictos DD.

Prædicta tamen singulariter limita & intellige, quando pater esset debitor filiarum, vel haberet ejus bona sine administratione: secus verò, si esset ejus legitimus administrator; quia tunc simpliciter dotem promittendo, vel in casibus superioribus, videtur promittere de bonis filiarum, quæ administrat, non verò de suo patrimonio & substantia: quia in dubio actus videtur factus administratorio nomine, argumento text. in leg. Nesennius, ff. de Negot. gest. ubi habetur, quod si mater vel avia sit negotiorum gestor filii vel nepotis, & eorum bona administrat, & isto tempore eis alimenta præstat, vel alios sumptus fecerit; non videtur ex proprio patrimonio & substantia dare, sed ex his bonis filii vel nepotis, & administratorio nomine. Ex quo deducitur & infertur, quod major est præsumptio, quæ resultat ex administratione, quam ex pietate & affectione: text. in leg. Cum post mortem, §. 1. ff. de Administr. tutor. ubi habetur, quod tutor vel curator qui promittit dotem pro minore cujus bona administrat, videtur promittere de bonis ejusdem minoris, non verò de propriis; nisi expressè promittat animo donandi, vel sciens minorem non esse solvendo, vel cum dolo, secundum Gloss. Bart. & communiter DD. ibi: text. in leg. final. ff. de Pet. hæc. ubi habetur, quod si pater habet & administrat bona filii, & aliquid expendit in honorem ejus, videtur de bonis ipsius filii expendere vel promittere: & ibi notat Bart. & communiter DD. text. in leg. Uxorem, §. Pater naturalis, ff. de legat. 3. ubi pater qui promissit dotem pro filia naturali, non videtur habere animum donandi nec promittendi de proprio, si apud patrem erant aliqua bona filiarum: & in expresso ita tenet Bart. in dict. leg. Nesennius, ff. de Negot. gest. & ibi Ang. de Perus. idem Bart. qui reputat singularem in dict. l. Cum post mortem, §. 1. ff. de Administr. tutor.

Sed advertendum, quod ista sententia & conclusio aperte est falsa: imò etiam hoc casu dos promissa debet solvi de bonis Patris, & militat prædictæ rationes: quia text. in dict. l. fin. expressè loquitur quando pater habebat bona

ipsius filii ex causa adventitia, in quibus pater habet usumfructum: quo casu certum est, quod pater est legitimus administrator: & textus determinat & disponit, quod teneatur de suo patrimonio solvere: ergo contra Bartol. & DD. probat etiam text. notabilis & expressus in leg. *Profectitia*, §. *fin. ff. de Jure dotium*, ubi habetur, quod si pater sit curator filiae emancipatae, & promittat simplicem dotem pro ea, videtur promittere ut pater, non ut curator: & ibi notant & commendant Glossa ordinaria, Odofr. Bal. Salycet. Fulgos. & Jacob. de Sancto Georg. Confirmatur etiam, quia quando in una & eadem persona concurrat duplex qualitas, potius attenditur naturalis, quam accidentalis: text. est singularis & unicus in leg. *Qui habet. ff. de Tutel.* & in expresso in nostro articulo & quaestione principali eandem sententiam & conclusionem tenet Joan. de Imol. in leg. *1. ff. Solutio matrim.* 2. column. in fin. & ibi Roman. penult. column. 32. special. num. 16. Alex. 4. col. num. 17. Jas. 6. column. num. 24. Socin. 5. col. num. 10. Rip. 17. column. num. 90. tenet etiam Paul. de Castr. in *1. fin. ff. de Pet. hered.* Fulg. in leg. *Nesennius. ff. de Negot. gest.* Angel. de Aretin. in §. *Fuerat. Instit. de Actio.* 3. column. num. 19. & ibi Jas. 20. column. num. 15. Bald. Novel. in tract. *Dot.* 6. part. in 3. priv. & in 45. Palac. Rub. in sua *Repet. fol. 91. column. 3.* & ista est magis communis opinio contra Bartol. & primos DD.

23 Quod tamen limita & intellige, quando pater promittit dotem vel donationem propter nuptias pro filio, vel filia existente in potestate: secus tamen est, si mater, vel ascendens, qui non habet eos in potestate, vel extraneus est tutor vel curator, & habet bonorum administrationem; quia tunc in dubio videtur promittere de bonis eorum, quorum bona administrat, non vero de proprio patrimonio, & substantia; quia cum de necessitate non teneantur dotare, potius videntur promittere de bonis eorum, quam de propriis: & in expresso ita probat textus formalis in dict. leg. *Cum post mortem*, §. 1. ff. de *Admin. tut.* text. in leg. *Nesennius. ff. de Negot. gest.* text. in leg. *fin. ff. de Petit. hered.* text. in leg. *Uxor. §. Pater naturalis. ff. de legat.* 3. & utrobique DD. & tenet Glos. ordinar. in dict. leg. *fin. Cod. de Dotis promiss.* in verb. *Intelligi*, & ibi communiter DD. (k) Ex quo datur notabilis intelligentia &

(k) Vide Castill. in leg. 53. num. 2. & Gregor. in leg. 16. tit. 9. part. 6. Aceved. in leg. 8. tit. 9. num. 12. lib. 5. Recopil.

(l) Idem docuit Palac. Rub. in Rubr. de *Donat.* §. 66. num. 7. Gregor. Lop. in leg. 8. tit. 11. part. 4. verb. *El padre*, Matienz. in leg. 3. tit. 9. lib. 5. glos. 7. num. 7.

declaratio ad textum in leg. *unic. §. Accedit. Cod. de Rei uxor. Actio.* ubi habetur, quod quando extraneus promittit dotem alicui puellae vel mulieri, videtur ei donare: ut intelligatur, nisi sit ejus administrator.

Superest tamen circa praedicta: Quae est ratio, per quam, si pater vel ascendens praestitit alimenta filio, vel descendenti, non videtur dare & erogare de bonis propriis, sed de bonis filii, modo sit ejus administrator, modo non, ut in dictis jurib. dotem vero indistincte videtur dare vel promittere de propriis, ut in dict. leg. *fin.*? Sed notabiliter respondeo, quod alimenta tenetur in subsidium praestare, si filius non habet aliunde: dotem vero tenetur favore publico, ut mulieres inveniant, quibus nubere possint.

24 Pulchrum tamen dubium est: Si talis mater, ascendens, vel extraneus promittat dotem, quae excedit patrimonium & substantiam filii, vel filiae, vel extranei, an illud plus vel residuum teneatur de suo proprio patrimonio solvere, an vero remaneat liberatus? Et breviter & resolutive respondeo, quod extraneus nullo modo tenetur, sed remanet liberatus, si mulier pro qua promissit non est solvendo; quia in dubio videtur promittere administratorio nomine: nisi probetur quod promissit animo donandi, vel scienter & dolose, sciens & cognoscens vires patrimonii ipsius mulieris; quia tunc residuum tenetur solvere, per textum formalem & expressum in dict. leg. *Cum post mortem*, §. 1. ff. de *Admin. tutor.* & ibi tenent & declarant Glos. ordinaria, Bartol. Alber. & communiter DD. Si vero mater, vel ascendens, quae non habet in potestate, promissit, bene tenetur illud & plus residuum de suo patrimonio solvere; quia ratione naturalis conjunctionis, & pietatis & affectionis videtur donare, argumento text. cum materia in dict. leg. *Nesennius. ff. de Negot. gest.* & in leg. *Alimenta, Cod. eodem tit.* & eorum quae ibi notantur; & in expresso ita tenet Bald. Novellus in tract. *Dotis*, 6. part. in 3. privilegio; & similiter in 45. tenet etiam Palac. Rub. in sua *Repet. cap. per vestras*, fol. 46. col. 2. versic. *Ex istis alias*.

Item etiam praedicta intellige, quando non sunt bona superlucrata constante matrimonio: secus vero alias; quia tunc, si constante matrimonio pater promittat dotem, de illis videtur promittere, & debet solvi: (l) ita disponit lex nos-

nostra 53. his II. Taur. Cujus ratio potest esse: quia, cum ex causa necessaria possit pater praedicta bona alienare, dum tamen non faciat in fraudem uxoris, ut in leg. *fin. tit. 4. lib. 5. Ordinament.* merito poterit alienare in causam dotis, vel donationis propter nuptias. Secunda ratio potest esse: quia cum istud debitum & onus dotandi filias superveniat patri constante matrimonio, merito uxor quae vult consequi medietatem lucrorum, tenetur etiam ad medietatem debiti: & istae videntur fundamentales rationes ad istam legem Taur. quas ego cogitavi, & eas etiam ponit Palac. Rubeus in sua *Repet. fol. 45. column. 3. versic. Ex istis infertur.* Et adde, quod idem est, si sola uxor promittat dotem: quia videtur promittere de bonis acquisitis constante matrimonio, argumento hujus nostrae legis 53. & in terminis ita tenet ibi Castell. & Palac. Rub. Quod tamen ego intelligo, quando uxor promissit cum licentia mariti: quia alias non potest facere contractum, vel quasi. (m) Ex quo deducitur & infertur, quod si pater promitteret dotem vel donationem propter nuptias filio vel filiae, soluto jam matrimonio, licet sint bona acquisita constante matrimonio, non debet solvi de eis, sed de propriis bonis ipsius patris; quia cessat praedicta lex Tauri, & ejus rationes. Confirmatur etiam, quia soluto matrimonio jam non dicuntur acquisita & multiplicata, sed potius materna, & propria filii, vel filiae, argumento text. in leg. *Sed si plures. §. Sed si filio impuberi. ff. de Vulgar. & pupil. cum simil.* & in expresso ita tenet Didac. de Castill. in dict. leg. 53. his II. Taur. column. 10. versic. *Secus dicendum erit.* (n)

Pulchrum tamen dubium est: Si pater promittat dotem vel donationem propter nuptias constante matrimonio, (quo casu videtur promittere de bonis superlucratis & acquisitis constante matrimonio, ut dictum est) an postea

(m) Et idem tenet Baez. de *Dote*, cap. 11. num. 45. & 46. Matienz. in leg. 1. glos. 1. tit. 6. lib. 5. Recopil. & in leg. 8. tit. 9. eod. lib. num. 10. Bolong. in *Consuetud. Bituric.* rub. 8. §. 1. column. penult. Cassan. in *Consuet. Burgund.* rub. 4. §. 1. num. 4. pag. 811. Pelaez de *Matorat.* 4. part. quest. 1. limit. 2. num. 8. Lara in leg. *Si quis a liberis. §. Si quis lex his. n. 259. de liberis agnosc.* Aceved. in leg. 8. tit. 9. lib. 5. *Ordinam. Barbos.* qui contrarias refert in 1. 1. part. 1. num. 27. soluto matrimonio.

(n) Quod & resolvit Castill. in leg. 53. Taur. Sed contrarium ipse tenet, scilicet, patrem etiam soluto matrimonio promittentem dotem filiae, non teneri de bonis propriis eam solvere, sed de lucratis constante matrimonio, in leg. 53. Taur. num. 2. Covarrub. lib. 5. *Variar. cap. 19. numer. 3. vers. Ex quo infertur*, ubi ita receptum esse frequentiori iudicio suffragio asserit Gregor. in leg. 6. glos. commun. in fin. tit. 10. part. 5. Baez. hanc opinionem fundans, contrarieque opinionis fundamentis respondens, de *dote filiarum*, capit. 11. numer. 97. cum sequent. Aceved. in leg. 8. tit. 9. lib. 5. Recopil. numer. 18. Matienz. in leg. 3. tit. 9. lib. 5. glos. 7. num. 9. habet opinionem late defendentes veriorumque in jure esse confirmantes.

mortuo patre, filius vel filia debeat conferre & computare integraliter totam dotem vel donationem propter nuptias in successione & divisione bonorum patris, vel tantum dimidiam partem ejus, quae correspondet medietati lucrorum patris, quam ipse habiturus erat? Et teneo pro constanti, quod tantum debet conferre dimidiam partem, quae pertinebat patri, & habiturus erat; aliam vero dimidiam debet conferre & computare in successione, & divisione bonorum matris, & idem per omnia judicari, ac si ab ea processisset: & in expresso ita probat lex 14. tit. 6. lib. 3. Foro II. & illam leg. ad hoc reputat singularem Palac. Rub. in sua *Repet. fol. 28. column. 4. vers. Et secundum praedicta.*

25 Item etiam circa praedicta dubitatur, si pater & mater simul promisserunt dotem, vel donationem propter nuptias, pro filio vel filia, qualiter teneantur? Et breviter & resolutive dico, quod de jure communi uterque tenebatur pro medietate, argumento text. in leg. *Reos. §. Cum in tabulis. ff. de Duobus reis. cum similib.* Item etiam argumento text. in leg. *Si dotare, Cod. ad Vellejan.* text. in leg. *fin. eodem tit.* ubi habetur, quod mulier potest se obligare principaliter & accessorie pro dote: ergo si simul cum alio promittat, teneatur pro parte. Quod procedit, nedum quando mater haberet bona paraphernalia; sed etiam quando solum haberet bona dotalia; quia de eis debet solvi, quia maritus videtur consentire, cum simul se obligent, & ex ista causa bona dotalia possint alienari constante matrimonio: ita tenet Bald. in leg. 1. ff. *Solut. matrim.* 2. column. Pro qua sententia & conclusione primo facit text. in leg. *Sive uxor, ff. de Donat. inter vir. & uxor.* ubi habetur, quod si uxor donavit marito ea conditione, ut detur in dotem filio vel filiae, valet & tenet. Secundo facit text. in leg. *Lutius Titius. ff. Quibus mod. pig. vel hypoth. sol.* ubi habetur, quod si maritus &